



Universitätsbibliothek Paderborn

Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac Quatuor Parisiensibus Propositionibvs A Ludovico Maimburgo, Alijsque producta sunt, Refutantur


Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

1. Multæ in Gallijs Ecclesiæ Decreto Concilij Lugdunensis, & quatuor sæculorum beneficio à Regalia liberæ, idque Episcopi Galli agnoscunt, & tamen Edicto Regio subscribunt, & quas ob causas?

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

5. *Romani Pontificis in tot malis curæ, & remedia malè à quibusdam accepta, & quas ob causas? quæ sigillatim refelluntur.*



I.

Am supra ostendimus, Concilij Lugdunensis Decreto cautum fuisse, ne Jus Regaliæ ad eas Ecclesias proferretur, quæ hætenus ab hæc servitute immunes fuerant; gaudebantque Ecclesiæ hæc nativâ, & canonicâ libertate annos ferè quadringentos, quot videlicet decurrerunt ab anno MCCLXXIV. quando Concilium Lugdunense celebratum est, usque in annum MDCLXIII. cum Regis Edicto omnes totâ Galliâ Ecclesiæ huic oneri subjectæ sunt. Neque hoc ipsi Galli dissentent; cum enim anno MDCLXXXI. mense Majo Episcopi aliquot convenissent, & futuro generali Conventui ad proximum Octobrem materiam agendorum pararent, unus & præcipuus inter alia hæc Episcoporum nomine locutus fertur: *Jus Regaliæ servitutem esse, quæ præsertim, collationes Episcoporum quod attinet, imponi nisi ab Ecclesia, ejusque consensu non possit, semper nobis persuasum fuit; & idèd cum Concilium Lugdunense Regaliæ, ubi hætenus invaluerat, tolerandum esse duxerit; ad eas verò Ecclesias, ubi hætenus insueta, extendi omnino, & sub pœna anathematis gravissimè interdixerit; sequitur, ut nec illæ hanc ipsam servitutem recusare debuerint, quæ hætenus eam tulerant; illæ verò, quæ hætenus naturali, & canonicâ libertate fruebantur, justissimè usque in annum MDCLXXII. ferre renuerint.* (a) Ubi vides fateri Galliæ Episcopos, quorum nomine loquebatur, Jus Regaliæ servitutem esse, nec eam aliâ, quàm Ecclesiæ auctoritate imponi potuisse: ab hac verò Regalia immunitatem, fructum esse canonicæ, & naturalis libertatis, quâ quadringentis annis Ecclesiæ, ubi hætenus contraria consuetudo non obrinuit, gavisæ sunt: quæ omnia quàm verè à Gallo sint dicta, jam supra abunde ostendimus, nec animus est repetere. Hanc ergo Libertatem Edictum Ludovici Regis submovit; quod licèt novum, & Galliæ hætenus invisum, non tamen obscurum fuit, quorum consilij id suggestum, peractumque. Erant in aula,

(a) V. la lettera indirizzata ad un Vescovo dell' Assemblea die 8. Augusti. 1681. f. 5.

qui Principis gratiam quovis pretio parabant; & quia potentiæ, gloriæque, ac proferendæ dignitatis avidum cernebant, facile captari poterat, ijs propositis, quæ huic cupiditati blandirentur: tantòque magis, si victoria nec armis, nec auro constaret, & bellum indiceretur vinci volentibus. Ecclesiæ ergo Edictis petita, & quòd Majorum exemplis ea res careret, tantò magis Principem invitabat omnes retrò se Reges vincere festinantem: accedebant in eos, qui maximè videbantur oblectaturi, privata odia, unde criminandi, vindicandique occasio; & denique si hæc omnia abessent, quæstus urgebat; Rege enim ad majora intento, alijs Sacerdotia dispensandi cura dabatur: in istos ergo præmia, favores, & clientelæ redibant, magno potentiæ, opumque incremento: & cum publica utilitas obtenderetur, privata quærebatur, quod postea eventu patuit. Cæterùm velandæ cupiditati rationes passim quæsitæ, ac omni colorum genere, ut Principi placerent, ornata; & pronum erat fallere, armorum potius, aulæque, quàm Canonum, & Ecclesiæ gnarum. His ergo artibus Edictum illud prodijt, quo omnes totâ Galliâ Ecclesiæ, & in provincijs etiam recenti bello quæsitis, Regaliæ admittere jubebantur, adjectumque, ut electi Antistites intra duos menses à præstito fidelitatis Sacramento litteras à Rege obtinerent, quibus claudi Regalia inciperet, & proventus Episcopis cedere: litteræ verò in tabularia Camerae Computorum referrentur: cæterùm Episcopi jam olim electi tenerentur hæc ipsâ solemnitate defungi. Hæc novæ servitutis professio fuit; nec alibi, quàm Parisijs edi poterat, magno quidem Episcoporum incommodo, sed non minori eorum emolumento, qui Regaliæ præerant, Varijs in Galliâ animis, & foris non minori expectatione Regium hoc Edictum acceptum est; necdum enim memoriâ exciderat, sæpe id in aula tentatum, sed nullo eventu, Clero Gallicano semper oblectante, & semper victore; nec minoribus jam animis pugnaturi credebantur, quippe eadem in causa, & libertatis Gallicanæ, quam Pontificibus tories objectabant, memores; ac Rege, si veritatem doceretur, æqui amante. Cæterùm vana expectatio fuit: Plerique jugum accepere, querebantur tamen, dolebantque se invitos cogi, & Notarios, ac testes adhibebant, qui, ne libertati suæ id quidquam noceret, in Tabulas referrent, misero inanique solatio

perditæ Libertatis! *Capi, vinciri volumus, & hoc ipsum chirographo testamur; id tantum scribite, liberos nos esse.* Recusarunt alij, sed tamen Capitulis suis permisere, ut Regaliæ subscriberent; perinde ac si nulla Pastoris culpa esset, si ejus non imperio quidem, sed permissu oves errassent; (a) si enim Regaliam suis Ecclesijs imponi justè crediderant, cur ergo ipsi abnuebant? si injustè, cur, ut Canonici id facerent, patiebantur? Enimverò non minus in animum, quàm militum Ductore eadem, parisque momenti culpa est, facere, & non prohibere, cùm possit. Sed Regalistarum importunitas Beneficia, fructusque raptantium effecit, ut qui istorum gratificationibus liberari vellent, jugum subirent, fœdâ quidem, sed utili servitute.

II. Duo tantum Episcopi Regijs Edictis obnixi sunt, Aletensis videlicet, & Apamiensis; & primò quidem omni reverentiâ, & obsequio certatum est, demonstratâ Ecclesiarum immunitate, quam & Concilij Lugdunensis auctoritas, & annorum supra quadringentos decursus firmaverant: sed cùm in aula non rationibus, sed imperio ageretur, & soli ipsi certarent, reliquo agmine aut victo, aut composito, nihil effectum est: nec ideò cessere; nunquam enim adducti sunt, ut subscriberent, imò vibratis censuris, edictisque propositis procul Regalistas arcebant: Romam etiam inclamarunt, commune Episcoporum asyllum, cùm periclitantur. Sed quid facerent soli? imò hoc illis crimini dabatur, quòd causam ab omnibus desertam soli sustinerent. Ergo omni malorum genere exerciti, nullâ ætatis, quæ jam provecta erat, nullâ virtutum, quæ præcipuè florebat, nullâ dignitatis reverentiâ; nec alterius culpæ postulabantur, quàm quòd Ecclesias suas, ab hominum memoria, & decreto Concilij Lugdunensis ac ipsorum Galliæ Episcoporum testimonio liberas, nollent in servitutum rapi; imò nec poterant velle, quippe Concilio Lugdunensi enixè id ipsum vetante: quid ergo facerent? Regi potius, an Concilio obedirent? omnino sic illis visum, quibus delitiæ, & quies, ac Principis gratia præ Libertate fuit: nec quid Ecclesijs, ac cœlo, sed quid mundo deberent, cogitantibus: quid ergo facerent, si secures, & flammæ, & alia tyrannorum instrumenta sævirent? illi sanguinem funde-

(a) M. de Pamiers fol. 177.